



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Apostata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10447

ARCHIDIACONUS.

Primò, ad Archidiaconum spectat examinatio clericorum, & praeficiendorum, & ordinare processiones, Host. in sum. tit. de offic. Archid. §. & quod sit eius officium, ver. quadam verò, num. 4. & tit. de sent. §. quos, num. 4. nec obstat, quòd Conc. Trid. jubeat singulis annis in dioecesana Synodo eligi debere examinatores pro examinandis provis de aliquo beneficio, vel de promovendis ad ordines ecclesiasticos, nam propter hoc non excluditur Archidiaconus, cui competit hoc de jure communi, & à jure antiquo non est recedendum, nisi quatenus, &c. sess. 27. cap. 18. de resor. & examinatores illi electi intelliguntur simul cum Archidiacono, cui de jure illud competit cumulativè.

Secundò, Archidiacono, vel quovis alio in dignitate posito, incidente in aliquam amentiam, vel morbum, quo redditur inhabilis ad obeunda munia sibi attinentia, non vacat ejus dignitas vel officium, seu beneficium, nec potest privari illo, sed dandus est ei coadjutor, Navar. conf. 1. de cler. agrot.

AGNUS DEI.

Agnus Dei benedicti à Papa, non possunt depingi, neque miniari, aut venales proponi, Greg. XIII. Bull. 2. quæ incipit, *Omni certè*, sub pœna excommunicationis incurrendæ.

APOSTATA.

Apostata non est Monachus, vel Religiosus, qui transit absque li-

centia habita, nec petita ad aliam religionem laxiorem. Imol. in c. intelleximus, de etat. & qualitat. in fi. Cap. Tol. q. 16. hodie secus per Bull. Paul. IV. de qua, &c. vide in feriis, in ver. Monac. §. 6. vide Azon. in sum. lib. 1. rub. de Apost.

ARCHIEPISCOPUS VEL METROPOLITANUS.

Primò, Archiepiscopus, seu Metropolitanus incidit in pœnas sui Suffraganei, si ibi delinquit in territorio ipsius Suffraganei, Host. in sum. tit. de sent. excommuni. §. quis valeat, num. 9. & dixi in versi. excommunicatio, de causa materiali, §. ad quintum, vers. hinc oriuntur; nec potest vocari Archiepiscopus, antequam habeat pallium, ad quod impetrandum, vel requiritur præsentia electi, vel mandatum speciale, sive persona deputata ad hunc effectum, & quid significet hoc pallium, & quando, & ubi eo uti possit, & quòd non posset alter Archiepisc. illud alteri commodare, & quòd Archiepisc. si plures haberet Archiepiscopatus, plura eum oporteret à Sede Apostolica, vel à corpore divi Petri pallia impetrare, & cum moritur, cum illis omnibus sepeliri, vide pro his omnibus, c. nisi, & ibi gl. in ver. nominis, c. 1. c. ex tuarum, cum simil. de auct. & usu pallij, vide Host. in sum. eodem tit. Syl. in verbo, Pallium. Præterea nonnulli faciunt differentiam inter Archiepisc. & Metropolitanum, ex eo quòd omnis Metropolitanus est Archiepiscopus, sed non è contra, quia Metropolitanus dicitur Archiepiscopus